

1440 parata offendit : quibus eques cum omni multitudine peditum exceptus per stagna, quæ ipsum mare ac continentem interjacent, secunda aura cæptus est devehī. Jucundum erat multis, atque ipsi duci imprimis, terrestribus expeditionibus, non maritimis assueto, spectaculum, trecenta eodem tempore volitantia videre vela : mille ad hæc minora navigia omnium promiscue ordinum hinc inde circumfusa, quæ cum officii causa, tum videndi studio illi obviam processerant. Aderant & qui publico nomine ipsi duci fœlicem gratularentur accessum, amplaque ei munera deferrent. Ad Conchas, Patavini agri locum, expositus in terram exercitus, ubi sex millia ducenti ac quatuor supra quadraginta sunt equites censi, pedites mille & sexcenti. Qui numerum extenuant, quatuor equitum millia, ac duo peditum fuisse tradunt. Sforcia ubi copias in continentem exposuit, nihil antiquius habuit, quam Mellitanas copias, & ubicunque Venetarum virium aliquid esset, in unum contrahere, ut quam primum in hostem dimicaturus moveret. Nec Mellita, audito Sforcie adventu, multum defedit : sed postridie quam appulsum erat, cum duodecim millibus equitum peditumque præsto affuit. Quidam auctores sunt, in Colonienſi agro ipsos duces castra contulisse, ubi recognito exercitu, quatuordecim equitum millia, atque octo peditum in Venetis sint castris numerata.

*Mellita
cum Sfor-
cia castra
contrahit.*

Sed dum hæc in hostes comparantur, Brixienſes fame, pestilentiaque non minus quam assiduo hoste domiti. Nam Italus cum duobus millibus ad hoc ipsum relictis, ita assiduis incursionibus urbem vexabat, ut parum meliore essent conditione, qui in urbe erant, quam antea fuissent; quum a Picinino & Mantuano Duce obsidebantur. Victi itaque tot malis cives fecissent tandem deditionem, ni Barbarus eam rerum omnium difficultatem mira providentia superasset. Nullam ajunt artem excogitari potuisse ad miserorum civium animos in fide & spe continendos, quam ille maturo tempore non adhibuisset : ita ut supra fidem sit referre, quibus modis ad alendum præsidium pecunias hinc

*Francisci
Barbari
Brixiano-
rumque ob-
fessorum mi-
ra constan-
tia.*